

Dissertatio medica, inauguralis, de pneumonia / [James Forsythe].

Contributors

Forsythe, James.
University of Edinburgh.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Edinburgi : Balfour et Smellie, 1782.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/hmnqze8j>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA,
INAUGURALIS,
DE
PNEUMONIA.

QUAM
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reuerendi admodum Viri
D. GULIELMI ROBERTSON, S.S. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;
NEC NON
Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,
Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,
PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit,
JACOBUS FORSYTHE,
HIBERNUS,
Soc. Reg. Med. Socius.


Ad diem 12. Septembris, hora locoque solitis.

Nullius addictus jurare in verba Magistri.

HORAT.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographi.

M,DCC,LXXXII.



DISSEMINATIO MEDICA

JACOBO HAMILTON-CLEWLOW
P. U. M. O. N. I. A.

D. GUILIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.
JACOBO HAMILTON-CLEWLOW

PRO GRADU DOCTORATUS
ACADEMIAE MEDICAE

IN AGRO DOCTORATUS
FACULTAS MEDICAE
HABITUS

Sec. Reg. Med. Sch.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque solitis.

Nulli in acceptis honoribus, nec in
primis bonis spectantibus, ego in
primis bonis spectantibus, ego in
primis bonis spectantibus, ego in

APUD BALFOUR & SMELLIE
ACADEMIAE TYPOGRAPHI

MDCCLXXII

Reverendo viro

JACOBO HAMILTON-CLEWLOW,

Et

JACOBO BRUCE,

ARMIGERIS,

In agro Downiensi,

JACOBUS FORSYTHE

S. P. D.

Acceptorum beneficiorum memor, virtutesque vestras, diu plurimis bonis spectatas, ego in primis admirans, hanc disputationem, primum meum in literis medicis laborem, vobis dicandam putavi.

Reverendo viro
DISECTATIO MEDICA

JACOBO HAMILTON-CLEWLOW
IN A U G U R A L I S

J A C O B O B R U C E
P N E U M O N I A

In agro Dorsetensi

A P T I O R nubi Phenomena definitio nulla videtur

quam illustravit nobis Praefectoris Collegii: P. I.
textus, dolor in pectore, respiratio difficilis,
tussis.

Hoc titulo acutus variisq[ue] vel annuum thoracis
viscerum inflammationem coarctat. Dum non erant, ut
multis auctoribus placuit, haeculorum locorum affectus
symptomatis sibi propriis notari, et inde tandem morbo-
rum imponi nomina. cum alio tempore, sympto-
mata quae occurrunt, ad illorum distinctionem
tendunt, per se. Cum in pectore, quibus
cardiacis distinguere posse alio forte videatur, tamen cordis
affectus proprias sunt, quo nemini probris nullo, in vici-
narium partium viro occurrunt. Haecem denique di-
stinctiones

DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

PNEUMONIA.

APTIOR mihi Pneumoniae definitio nulla videtur quam illustrissimi nostri Professoris Cullen: ‘Pyrexia, dolor in quadam thoracis parte, respiratio difficilis, tussis.’

Hoc titulo acutum uniuscujusvis vel omnium thoracis viscerum inflammationem comprehendimus; non enim, ut multis auctoribus placuit, singulorum locorum adfectus symptomatis sibi propriis notari, et inde totidem morborum imponi nomina, cum ullo fructu possunt. Symptomata quae occurrunt minime ad ejusmodi distinctiones tuendas pertinent. Quin et palpitatio et syncope, quibus carditis distingui posse alicui forte videatur, minime cordis adfectui propriae sunt, quo immuni prorsus malo, in vicinarum partium vitio occurrerunt. Eaedem denique distinctiones

functiones hic omittendae sunt, quod ad nullum in curatione fructum ducunt.

Neque quaestio, utrum in pleura, intus viscera tegente, an in horum corpore, oriatur primum inflammatio, tangenda est nobis, ut minime operae pretium.

HISTORIA.

Multo frequentior pneumonia est in frigidis, quam calidis regionibus et temporibus. Eadem vigentes et validos, et carne vesci solitos, prae caeteris corripit. Incipiens hierno tempore, verno maxime, et ineunte aestivo, viget, et paulatim, procedente aestate, evanescit.

Initio plerumque languor, et lassitudo toto corpore sentitur; quibus horror plus minusve gravis, saepe cum magna anxietate et sitis aliquo, succedit, quibus, in paucis casibus, supra, atque etiam infra, purgatio commiscetur. Frigoris sensum plerumque calor multum auctus ita sequitur, ut ille tamen post hunc redeat aliquando. Hoc tempore pulsus pleni, crebri, durique, plerumque sunt. Qui, ut et calor, in quibusdam casibus, ut nonnullis visum fuit, naturales permanent.

Aliquando adventante caloris incremento, saepissime paucis post horis, aliquando uno, altero, aut etiam tertio die, spirandi difficultas, quae inter aërem trahendum maxima est, incipit. Hoc symptoma, cum in lecto jacet aegrotans indolens latus inclinatus, multum ingravescit, cui aliquando contrarium

contrarium sed multo rarius, ac tum demum, cum multum morbus provectus est, accidit. Ad quod levandum symptomata, saepe supinus jacere cogitur, et in quibusdam gravissimis adfectibus, maxime multum jam provecto morbo, capite et cervice erectis, solum spirare potest.

Aër pulmonibus emissus insigniter ardet. Tussis, in hoc morbo, perpetuo molesta est, et caetera symptomata augere incipit. Quae utique in aliis aegris alia, multum vehementia, differt. Saepe ficca est, praesertim initio, et sic molestissima graviores reddit morbum. Alias eum sputis conjungitur. Quae sputa colore variant, tenuiora aut spissiora sunt; tenuiora initio plerumque et minus colorata; paulatim dein crassescunt, et in album, flavum, aut viridescentem colorem abeunt. Estque ubi sanguinis puri satis multum expuitur.

Una cum tussi et spiritu difficili, alicubi thoracis dolor per sentitur, sede, magnitudine, et constantia, multum varians. Qui tamen circa sextae costae mediam partem septimaeve plerumque situs, ibi, quam alibi, acutior est. Qui saepe adeo obtusus est, ut pondus, angustiam, et anxietatem, quam dolorem, aeger magis queratur. Idem in morbi cursu aliunde alio migrat.

Una cum his symptomatibus, quae, ut et alia post memoranda, vespere omnia noctuque ingravescent, magna sitis, vehemens capitis dolor, lingua sordida, ficca cutis, alvus compressa, et multum colorata urina, aliud alia magnitudine occurrentia infestant.

Horum symptomatum pleraque rapide crescunt, nisi remissio forte interveniat; quod tertio fere vel quarto die accidere solet, et, comitante maxime sputorum copia, morbum

morbum solvit. Quae, ubi non accedit remissio, spiritus laboriosior, pulsus duriores, tussis vehementior, sputa parviora, evadunt, dolorque saepe locum mutat. Corporis simul calor et sitis augentur; vultus florescit, oculi inflammantur, et aliquantum delirii supervenit. Quin et morbus saepe ad suppurationem, et crebras refrigerationes, remittente dolore, cum mollioribus et plenioribus pulsibus, tendit.

Ubi vero symptomata, suppurationem accidere significantia, non interveniunt, aut ea quae antea remiserunt, quod saepe accidit, duplicata vi recurrunt, opprimens circa praecordia sensus crescit, spiritus difficilior et crebrior evadit, supprimuntur sputa, pulsus insigniter debiliores, molliores, vacillantiore, saepe satis diu intermittuntur; crescit toto corpore debilitas, vultus livefcit, deliriumque, quod ante phreniticum fuerat, in apoplecicum quendam statum mutatur. Frigescunt extremitates, collipientes sudores in pectore et vultu dimittant. Extinguitur vox, visus obscuratur, et mors plerumque inter tertium et septimum morbi diem supervenit.

Sanguis in hoc morbo detractus, jamque refrigeratus, multum glutinis separatum super crassamentum jacere, ostendit.

D I A G N O S I S.

Diagnos non hic tam difficilis, quam saepe alias est. Hepatitis prima memoranda est, utpote cui complura symptomata

symptomata cum hoc morbo communia, subsint. Qui tamen morbus dextri hypochondrii, tensione, dolore manu premente multum adaucto, tussi semper sicciore, tamen minus molesta, et decubitu super latus adfectum quam integrum faciliore, spiritu raro tam difficili, et comitante quicquid difficultatis est singultu, cum vomitu, a pneumonia magis alienis. Febris etiam in pneumonia plerumque magis vehemens est. Perniciosa pleuritidis spuriae cum pneumonia confusio quia est; ergo haec ab illa judicanda. Symptomata febrilia mitia sunt in pleuritide spuria, item vix ulla spirandi difficultas, tussis nullius momenti; dolor, pressu auctus, cum tumore saepe atque rubedine. Sed et pneumoniam etiam referunt spasmodici quidam affectus, qui facilius hoc distinguuntur, quod expertes sunt pyrexiae.

Quod ad peripneumoniam notham attinet, alii alia opinati sunt; quam adfectum inflammatorium esse, nec a vera pneumonia nisi magnitudine differre, noster Professor Cullenus illustrissimus arbitratur; alii e contraria prorsus causa, atque a totius corporis, maximeque pulmonum, debilitate pendere, judicarunt, quarum nos hanc sententiam recipimus, et indicia utrumque morbum discriminantia dabimur. Peripneumonia notha, natu grandiores, laxum habitum habentes, diu jam longo catarrho laborantes, potissimum adfectat. Quibus omnibus in rebus pneumoniae verae prorsus contraria est. Notha porro hoc differt, quod vix ullam habet pyrexiam, praefertim initio, quin et omnia symptomata adfectus pulmonum significantia, adeo lenia sunt, ut nihil ibi, saepe donec intra unum aut alterum diem ante mortem turbatum,

vel ab aegro, vel a medico discernatur. Ad pneumoniam ab omnibus aliis morbis distinguendam, ejus definitio et historia sufficient.

CAUSÆ REMOTÆ.

Causæ remotæ dupliciter tractabuntur; sub prædisponentium, dein occasionalium, titulis. Causæ prædisponentes aut communes toti corpori sunt, aut partibus propriæ. Communes toti corpori videntur multum toni arteriis cum sanguinis abundantia impertire; de earum paucis loquar. Hiems potissimum nocet; frigus debilitare hoc patet, quod sæpe partis mortem seu gangraenam intulit, et aliquando vitam animantium extinxit. De stimulantibus ejusdem naturæ directæ, quam nonnulli magni viri crederunt, multum dubitamus. Ut recta stimulans in firma viva solum agere posset, in quæ utique, ut inter omnes convenit, recta debilitatem sæpe intulit. Quod si calor, vitæ principium, quod nemo negabit, faciendo et sustentando necessarius est; inde frigus, ad vim et actionem firmorum viventium imminuendam recta pertinere, concedendum. Dum vero stimulans directum frigoris opus neutiquam verisimile est, idem tamen effectus stimulantibus, ut in frigida lavatione, quæ toties in debilitatis morbis profuit, patet, parere non negandum. Eodemque pertinet, quod septentrionalium regionum incolæ, cæteris paribus, plus vigent, quam qui sub solis ardoribus vivunt, et homines regionibus in temperatioribus plus hieme quam æstate valent. Denique, vultus sub frigore

frigore cum calore et rubedine affectus, eidem addit pondus opinioni. Multa alia ad eandem firmandam in medium proferri, ni haec sufficerent, possint.

Constituta igitur re vera, quomodo frigus sic effectus stimulantibus producit, inquirendum. Primum, potest frigus tam in viva quam in simplicia solida agere, agitque procul dubio. In illa agens, ut supra relatum, rectam debilitatem infert. In haec incumbens, eadem omnia, quae in quavis materia inanimi, facit; id est, partis cui admovetur molem imminuit; quae vis ejus adstringens adpellata est. Hac igitur vasorum cava imminuuntur, magisque ab humoribus, intus perfluentibus, tenduntur. Quae tentio, ut omnis alia, eorum actionem auget. Ea ipsa, frigus superficie corporis totius, pulmonumque incumbens, solis in arteriis extremis efficit. Verique simile est, hanc, auctam cum actione aucta tensionem ad totum corpus perferri, et sic viam ad morbos inflammatorios patefacere. Recta frigoris supra firma viva vis, vim et ipsius in simplicia perpetuo diminuit, dum vis ejusdem in haec effectus ejus super illa semper moderatur. Absque qua actione reciproca, magnae noxae corpori, ut videatur, acciderent. Verum rectum ejus in viva solida opus nunquam stimulantibus ejus in simplicibus effectibus exaequari videtur, nisi aut diu frigus aut summum fuerit admotum, aut brevius et mediocre, magis in corpus jam ante debilitatum, multum agerit. Haec, ut speramus, explicatio illustrabit, et quomodo pneumonia et aliae phlegmasiae tantopere hiemali tempore saeviunt, magisque etiam verno, ubi causae excitantes in praedispositum jam ante corpus agunt.

Exercitatio et plenus victus etiam hunc morbum periclitantur. Quomodo vivum corpus exercitatio adficiat, nondum compertum videtur. Quae ubique, ut quotidiana et universa experientia satis probat, etiam longius tenta, ad stabiliendum et firmandum corpus pertinet. Vires tonici exercitationis victu pleno et ubere multum adjuvantur, a quo, ut maxime imperitum latere nequit, status vaforum plenus exorietur.

Tempus vitae ad hunc morbum viam sternans inter adolescentiam et justam virilem aetatem medium est. Hoc enim sanguinis in arteriis abundantia multum adhuc viget, dum ipsae jam plus densitatis, eoque toni, quam superiore ullo tempore, nactae sunt. Quin et brevi post eadem densitate venas superant. Quo fit ut sanguinis abundantia quae prius fuit, et ad pneumoniam viam facit, nunc in venas demum vertatur. Quod ad sexum attinet, mulieres, quia vasa laxiora habent, nec, ob crebrum menstruum reditum, abundantiae sanguineae patent, minus quoque pneumoniae proclives sunt.

LOCALES CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

Ex iis una est thoracis, prae totius corporis mole, angustia. Haec autem a mala conformatione, vel a spinæ curvaturis, vel ab aliis morbis, pendens, plenam et facilem pulmonum dilatationem prohibendo, sanguinis transitum, quoties ejus impetus forte auctus sit, difficiliorem praeestabit, eoque pleniorum ibidem iusto statum creabit.

Scirrhus

Scirrhusi aut scrophulosi tumores in pulmonibus, aut quolibet thoracis viscere existentes, sanguinis per suam sedem transitum impediendo, pleniorum igitur vasorum vicinorum statum efficient, eoque congestionem parient.

CAUSÆ OCCASIONALES

Sunt quaecunque vasorum thoracis cava subito minuant, aut humorum in iis perfluentium copiam etiam subito adaugent. Frigus, de quo supra inter causas opportunitatem dantes, locuti sumus, augendo corporis tonum agere videbatur; hic vero, quatenus ad perspirationem impediendam pertineat, quatenus vasis bronchialibus admotum, subito cava vasorum diminueat, et exhalationem ibidem obstruat, animadvertendum est. Vis frigoris perspirationem impediens ab omnibus, ut credo, agnoscitur, eoque hic impedimenti effecta sola consideranda. Cum excretio tam copiosa, quam haec multum repressa est, plenus corporis status ex ipsa humoris copia retenta fiet, ac proinde actio aucta, sequatur necesse est. Verique simile est, vasa pulmonalia tali statui, prae caeteris, fere opportuna esse; nam, licet pulmones tantum sanguinis, quantum totum aortae systema, circumferri queant; tamen omne copiae, magisque etiam velocitatis, sanguinis per hoc augmentum majorem pro rata parte velocitatem in vasis pulmonalibus dabit. Quam tamen semper factum iri non est verisimile. Et si non factum fuerit, plenissimus pulmonum status accadat, et congestio formetur, necesse est. Quod, quia

quia satis patere videtur, proximum est animadvertere hujus obstructionis, seu impeditionis perspirationis, in pneumonia faciendae, effectus esse plerumque pro perspirationis, quae, impedimento oblato, occurrebat magnitudine. Exempli ergo, si corpori calenti, cum jam ad multum sudoris adaucta perspiratio est, frigus admoveatur, hujus certior et amplior effectus erit. Hic potissimum a materiae perspirabilis, ex toto, vel prope ex toto sanguine, separatae, copia, rursusque ad sanguinem restitutae, et in circuitus cursu in vasa bronchialia perlatae, pendere putatur; ubi non satis, per suam cum sanguine in reditu mixturam, mutata, ut stimulus habilis agere potest. Qua ratione haec materiae perspirabilis facultas sic sola in vasa bronchialia agat, difficile forsan explicatu est, neque nos explicare audeamus. Rem vero se habere, neutiquam dubitamus. Quinetiam, ob rem veram ante relatam, scilicet impeditionem tanto certius hunc morbum efficere, quanto major inter impediendum fuerit perspiratio. Haec autem aliquamdiu morata, plus minusve ad plenitudinem removendam pertinuerit, eoque tenus morbi adventus periculum sustulerit, necesse est. Quod cum ita se non habet, contraque effectus major et certior pro perspirationis magnitudine sequatur, idcirco materiam perspirabilem, ad bronchia reductam, in haec recto stimulo agendi potestatem acquirere, fidem fecit. Proximum est frigoris vim vasorum per internam pulmonum superficiem distributorum cava diminuendi, tracto aëre frigido, animadvertere. Hic effectus evidens adparebit, si quod de astringente frigoris facultate supra in praedispositione dictum sit, perpenditur. Haec cavorum vasorum diminutio plenior

pleniorum eorum statum dabit necessario. Qui eousque procedere potest ut congesta pariat. Quod eo facilius accidet, quod idem frigus exhalationem in horum vasorum finibus diminuit, eoque pleniorum statum non augere non potest. Postquam tam fuse de frigore ut causa excitante dictum est, de calore, ut eodem opere fungente, loqui absurdum videri potest. Cujus tamen haec vis aequae certa, ac frigoris, est. Calor sanguinem rarefaciendo hunc morbum gignere creditus est; verum ea corporis animalis fabrica, et conformatio est, ut aliqua ignota lege eundem fere calorem, in frigidissimis pariter et calidissimis regionibus, conservare possimus. Ejusdem ad pneumoniam concitandam vis multo rectius, stimulantem recto ejus operi, quod manifestum est, tributa fuit. Hac vi calor sanguinis velocitatem adauget, eaque ratione, quae in aucta velocitate tractanda explicata est, plenum pulmonum statum, congestionem daturum, dabit.

Porro, si quae inaequalitas ad quamvis viscerum thoracorum partem sanguinem percitans, ante vel minima ex parte extiterit, calor stimulo, impetumque et velocitatem sanguinis percitando, impetum in eas partes augebit, et confluxionem creabit. Multae aliae noxae stimulantur hunc fecisse morbum creditae sunt; cujusmodi sunt, potio spirituoza, aut vinosa, exercitatio vehemens, cantus, clamor, et similia multa; quarum tamen opus, quia caloris ab omni parte consimile est, eas igitur, aut commemorare, aut fusius explicare, supervacaneum foret.

CAUSA

CAUSA PROXIMA.

Quod ad causam proximam attinet, nihil, in tam ardua re, solidi promittimus, eam solam quae veri maxime similis est, et reliquis morbum clarius explicat, sententiam tradere sat habentes.

Causae remotae ad congestionem alicubi thoracis viscerum faciendam concurrunt. Haec distendens vasa, eorum actionem augebit. Quae ad humores propellendos, et congestionem, suam causam, solvendam ut sufficere quandoque potest; ita, si non sufficiat, quia plus humoris in vasa compellit, inde congestio aut ad accumulatio satis magna creabitur, resistendique sensus suborietur. Ad quem sensum tollendum, natura totius corporis actionem excitat, quod illa spasmus per omnia vasa extrema faciendo efficere nobis videtur. Externarum igitur spasmus arteriarum, horum actionem auctam sustinens, pneumoniae causa proxima est. Talem spasmus revera incidere, ostendunt hujus morbi symptomata, fitis magna, cutis arida, alvus compressa, urina parca. Eodem, modus quo in secundum valetudinem desinit morbus, scilicet per sputorum copiam, satisque alias claras soluti spasmae notas, pertinet.

FINES

FINES PNEUMONIÆ.

Quatuor fines habet pneumonia, resolutionem, suppurationem, gangraenam, et sanguinis effusionem. Quorum tres priores huic cum aliarum partium inflammatione communes sunt, quarta propria. Ut ordine de unaquaque verba faciamus. *Resolutio* est, ubi inflammatio partis laborantis, integra textura, solvitur. Qui felix eventus tum incidit, cum congestio et spasmus mediocres fuerunt, eoque auctae vasorum actioni facile cesserunt. Quo facto, causaque sublata, tollitur effectus. Eadem resolutio raro sine aliqua aucta excretionem accidit; frequentissima, maximeque efficax, est materiae spissae, albescentis, subflavae, aliquantum sanguine striatae, sputatio, et levi tussendi conatu, copioseque peracta. Haec partim a mucosis bronchiorum folliculis, partim exhalantibus vasculis humorem serosum immittentibus, enascitur. Quam tingens pars rubra a vasorum relaxatione, quod saepissime accidit, aut ab eorundem ruptura, proveniat. Sudor quoque, qui saepe resolutionem comitatur, et hunc forsitan efficit, calidus et toto corpore copiosus est.

Sanguinis e naribus stillicidium, ubi satis magnum est, et mature incidit, prospere morbum finivisse judicatum est. Quod accidisse ut neutiquam dubitandum, ita saepe accidere non est credendum. E contrario, praesertim si morbus forte paulo proVectior est, pro malo symptomate, san-

C

guinis

guinis per pulmones transitum multum impeditum significante, habendum. Aliae excretiones, interque eas haemorrhoids, aut bilis profluvium, resolutionem pneumoniae adjuvare judicatae sunt. Quae tamen, et quotquot aliae non dictae, hoc facere creditae sunt, casu tantum supervenire, et in illud propositum minime sufficere, existimandae.

Quod ad suppurationem, in quam haud raro pneumonia definit, attinet; de pure formando disceptare a proposito foret alienum. Dixisse sufficiat, si actio eoque aucta est, ut integrum a vasis serum separat, hoc haud facile resorbebitur. Et, ut Joannis Pringelii equitis aliorumque experimentis disci potest, serum stagnans certam mutationem subiri potest, qua gluten, quod in eo continetur, in album, opacum, et aliqua ex parte viscidum humorem, pus dictum, mutatur. Quod, ubi fit, morbus in suppurationem dicitur desinere. E symptomatis innumeris, quae hunc adventare statum sat certo denunciant, eumque vere subesse declarant, pauca tantum memorabimus. Tempus quo pneumonia, vel in resolutionem, vel in suppurationem terminatur, adeo in aliis casibus aliud est, ut vix certius quicquam de eo disci possit. Verum, si morbus, plures dies cum symptomatis neque gravissimis, neque levissimis, neque in utramvis partem conspicuis, durat, in suppurationem ire summopere metuendus est. Idemque eventus, ubi aegro supinos spiritus magis quam ante laborat, timendus. Aliud suppurationis indicium est, si, crescente spirandi difficultate, simul et dolore et febris symptomatis remittentibus. Sputa quae prius extiterant, recurrense subinde horrore, pulsibusque in molliem euntibus, iterum evanescentia, eundem finem denunciant. Haec omnia effusionem illam, quae sta-

tus suppuratorii causa est, jam incidisse commonent.
 Pus formatum, major doloris, non auctis sputis, sed diffi-
 cili spiritu aucto, remissio, decubitus in latus laborans,
 quam contrarium, faciliior, crebriores pulsus, febrilis omni
 vespere exacerbatio, et paulatim in justam hecticam dege-
 nerans, confirmant. Abscessus ruptus saepe exspuitur.
 Quo facto, saepe ulcus sanatur. Quod ubique alias em-
 pyema, et phthisin pulmonalem, creat. Estque ubi pus,
 in asperam arteriam irrumpens magna copia, strangulat.
 Non desunt casus ubi, perrupto septo transverso, in cavum
 abdominis transfusum est. Tertius finis gangraena est, ut
 accidit quidem, sed rarius. Quae, cum effusionem comi-
 tem plerumque habeat, et iisdem symptomatis ita insigni-
 atur, ut haec in usu non sint distinguenda, ideo hic omit-
 titur, et ad *effusionem* sermo vertitur. Haec, quae multo
 perniciosissimus morbi finis est, vel ex sero, dilatatis solitis
 exhalantibus arteriis, copiose effuso, vel ex sanguine,
 quod ex incisis cadaveribus longe saepissime accidere novi-
 mus, constare potest. Illud potest in omnia cava, et in
 viscerum thoracis superficiem, incidere; haec pulmonibus
 propria est. Incisis cadaveribus, serosam effusionem
 aliquando ex tota plurae superficie manare, partim mol-
 lis, viscidaeque crustae forma, saepe membranae simi-
 lem, et ut pulmo, mediastino, pleurae costali, et vicinis
 partibus adhaereant, efficientem comperimus. Eadem
 effusio saepe in cava thoracica copiosa deprehenditur, vo-
 cabulo hydrothoracis. Quin et in cavis bronchiis albe-
 scentis serosi humoris copia, ubi paucos tantum dies per-
 manserat morbus, reperta, eandem illic quoque effusio-
 nem fieri demonstrat; igitur De Haenius celeberrimus multum

in errore fuit, cum hanc effusionem purem esse autumavit. Ut finem faciamus, serosum humorem in bronchia effusum saepe cum rubro sanguine una effundi, et sic exitio strangulando esse judicamus. Quem effectum sola feri effusio trahere potest, et copia ejus certa expectorationi finem imponit, qui toties mortem antecedit. Haec non virium expectorationis debilitati, ut vulgo creditur, debetur; saepe enim ea emitti desinit, cum nullam aliud debilitatis signum cernitur, et ubi bronchia, effuso sero referta, post mortem reperiuntur. Hanc feri et sanguinis rubri effusionem futuram, cum a vehementissimis symptomatis morbus incipiat, metuendum est. Eandem jam incidisse, vires multum et subito fractae, in omnibus actionibus manifestae, vultus livescens, extremus spirandi labor, subdatus ex toto dolor, subeunte magno oppressionis sensu, cum anxietate, documento sunt.

PROGNOSIS.

In eventu pneumoniae judicando potissimum intuenda sunt pyrexia, tussis, dolor, et ante omnia spirandi difficultas. Pyrexia gravis, quae congestionis et spasmi multum subesse significat, plurimum periculi denunciat. Eodemque spectat tussis frequens, vehemens, ineunte morbo incidens, quae a magna distentione pendet. Neque pro-
 vecto jam morbo suboriens, et a magna in bronchia effusione pendens, non etiam sine periculo est. Porro, ut sputa copiosa, spissa, alba, aut subflava, paululum sanguine striata,

friata, tussisque magnae aut gravis expertia, bona sunt, utpote spasmodum magna ex parte solutum indicantia. Dolor perquam acutus, ab aucta actione, et nimia partis laborantis distensione, pendens, multum inflammationis, eoque periculi, monstrat. Qui tamen obtusus, magisque ponderis, quam doloris iusti, sensum fuscitans, acuto multo periculosior est, eoque magis, quo difficilior spiritus comitatur; sic enim, maxime provecto jam morbo, effusione coepta, natus intelligitur. Migrans dolor, et a praecordiis ad aversum thoracem, contrave, aut aliter abiens, magnam in toto corpore diatheseos phlogisticae vim, in thorace intus majorem, denotans, gravem morbum ostendit. Metuenda quoque spirandi difficultas, quoties ea paulo major est. Quae ubi, jacente in latus aegro, tantum peragi potest, multum periculi est; plus ubi supino solum spirandi potestas fit; plurimum, ubi, provecto morbo, erectus solum ille spirare, atque sic quoque difficillime, potest. Neque periculum non multum augetur, cum una cum hoc symptomate turget vultus, partibus superioribus fudor manat, pulsusque ordinis expertes et debiles sunt. Haec spirandi difficultas, adeo in hoc morbo molesta, ad aliquam trium causarum referenda est. Quarum una est nimia vasorum sanguiferorum exiguorum ubique aërifera comitantium distensio, horum dilatationem prohibens, eoque spiritum ab hac pendentem impediens. Altera cum hoc semper conjuncta, et plerumque, ut opinor, multo potentior, dolor est, in nimis distentis vasis sanguiferis ab aërifera, quando dilatantur, compressione, pendens. Hinc spiritus inter trahendum adeo difficilis evadit. Idem hoc symptoma, provectiore morbo, effusae in thoracis cavae materiae

materiae ferosae, spiritum pro copia et ad pulmones propinquitate impediendi, tribuendum est. Eiusdem potentissima et perniciofa causa est sanguis ruber in ipsorum pulmonum corpus effusus. Delirium hic semper malum eo eventum denotat, quod pulmonum obstructionem, et impetum in caput directum, significat. Aliquid de morbi fine ejus diuturnitas submonet. Itaque mors aliquo dierum inter tertium et septimum longe saepissime accidit; sero, magis rarius est. Eoque post septimum diem, si symptomata parum gravia sunt, laetus finis sperandus.

CURATIO.

In curatione, duo medendi consilia commendamus; prius cordis et arteriarum actionem imminuere, posterius symptomata quaedam molesta prohibere, aut tollere. Ad prius attinens, sanguinis detractio, quia tanto efficacior, quanto subita magis est, potissimum brachio fieri, ubi ad amplam venam aditus est, et magna plaga effici potest, oportet. Detractio autem permanere debet ad doloris et spiritus levamen coeptum; aut, si hoc non accidit, ad animae defectionem. Quae, ne quod aliquando fit, ante tres aut quatuor uncias detractas accidat, ex aegrotante supino sanguis detrahendus. Sunt qui in prima detractio-
ne, ad eam defectionem opportuni, alteram aut tertiam sine ea perferunt. Raro una detractio sufficit; quae igitur fieri iterum, aut saepius, semper, et, ut ante monitum, simul ac spirandi difficultas dolorque repetunt, quod vulgo
eodem

eodem die, aliquando protinus post ligatam plagam, accidit; ubi vero haec accidit, resolvenda protinus plaga, sanguisque, ad magnum symptomatum levamen, fluere permittendus. Denique, in hoc morbo sanguinis detractio, quamdiu symptomata redintegrari perstant, non est desistendum; cumque eadem, quo maturius fiat, eo fructuosior sit; igitur inter primum triduum, si ejus rei facultas dabitur, continenda. Verum, si priores detractiones aut parciore justo fuerint, aut post satis largas, dolor et spiritus difficilis tamen recurrant, iterum sanguis, vel quarto vel quovis die, ad morbi finem, si nullum suppurationis indicium erit, detrahendus.

Sputa saepe minime multum, proveſto morbo, incidunt. Quo facto, detractionem omittendam multis male placuit. Meliusque praeceptum est, ut in hac re primis diebus reliqua symptomata, non sputa spectantur. Quod, si quarto, quinto, aut quovis post die, sputa libera, larga, et cum levamine ejiciuntur, tum demum scalpello parcendum; sed repressis dein sputis, vel sputis manentibus, sed dolore, et maxime spirandi labore, crescentibus, liberrime utendus. Primis diebus sanguinis missio adeo non imminuit, ut contra sputa augeat; quae, nisi multum proveſto morbo, magnaue omnigenis detractionibus, et morbi cursu debilitate demum inducta, nunquam ab ea impediuntur. Quod mali, ne nunc quidem, nisi effusionem ferosam in bronchia promovendo, et sic sputatrices vires debilitando, ab hac detractione infertur. De sanguinis detrahendi mensura nihil certe, ob virium, habituum, et symptomatum vehementiae varietatem, statui potest. Ex qua varietate de copia detrahenda judicandum

candum est. Ne tamen timor parcendo, audacia profundendo, noxae aut etiam exitio sit, Cullenii magistri illustri nostri praeceptum memorabimur. Is in mare adulto, et fatis valido, a quatuor, inquit, ad quinque libras (averdupois, ut dicitur,) paucis diebus detractio tanta fere est, quantum vires ferre impune possunt. Quae mensura, si inter detractioes, et totum tempus, quo detractioes adhibitae sunt, longum fuerit, major esse potest.

Altera ratio hoc explendi consilium est assiduus administrationis antiphlogisticae usus. Ad quam pertinet, ut caloris augmen cum cura caveatur, qui fatis magnam irritationem creat, et omni ex parte libero inimicus spiritui est. Ob quam causam, tamdiu in fedile continendus aeger est, quamdiu id fatis commode tolerari possit. Et quando cubilis necessitas erit, leviter ibi veste tegendus est. Cubiculi temperies aliquo modo circa aut infra Fahrenheitiani thermometri gradum sexagesimum esse debet.

Colloquium, quod pulmones agitat, cum cura cavendum est. Proxima ratio cordis arteriarumque actionem imminuendi refrigerantibus perficitur. Quorum praecipua sunt, acida, et sales neutri. Ex acidis, in morbis inflammatoriis, vegetabile caeteris anteponendum. Quod in hoc morbo fatis large utendum nobis videtur. Huic proposito optime respondent aurantia dulcia, ad arbitrium comesa, et succus limonum; aut, si hic obtineri nequit, ex vino confectum acetum aqua mixtum, aut qualibet aegro grata diluente potionem. Quam, ut et quamvis aliam potionem, aegrotans modice quovis tempore, et saepius bibere, oportet.

Ventriculus enim, ubi copiosior potio assumpta est, distenditur, et diaphragmatis descensus, qui libero spiritui necessario, efficit, impeditur. Ex salibus neutris, nitrum, et, ut mihi videtur, jure primum obtinuit locum; ejus drachmae quinque singulis diebus assumendae sunt; sed in potione ad sitim compescendam minime dissolvendae; enim nauseam atque etiam vomitum justum commovet.

Purgatio, quam nonnulli medici dubitarunt adhibere, propterea quod diarrhoea, initio incidens, raro fructui fuit, summis tamen auctoribus commendatur, quatenus intra refrigerantia, laxantia, et clysteros laxandi causa adhibitos continetur.

Vomitus, qui hic adhibitus est ob agitationem viscerum, incertus aut etiam periculosus esse videtur. Doses tartari emet. initio morbi datae, illustrissimo Culleno profuisse visae sunt.

Sudor a Chalmero, Meridionalis Carolinae medico, et aliis laudatus, anceps remedium est. Qui, si stimulantibus et calefacientibus rebus attentatur, multae noxae esse potest. Ob quam causam, nisi post aliquam symptomatum remissionem sudor sponte profluit, arte non sollicitandus. Qui si sponte profluit, occurrendum auxilio et aquosae et tepidae potionis.

Vesicatoriorum effectus fausti, in dysenteria, colica, et aliis morbis a spasmo pendentibus, quanto in hoc morbo usui sint, ostendunt. Hac rationis similitudine stare nulla necessitas est; siquidem Joannis Pringelii equitis, aliorumque illustrium virorum experimenta, utilitatem vesicatoria quam proxime partem labo-

D

rantem

rantem admovendi docuerunt. De tempore hujus utendi remedium medici dissenserunt. Pringelius illust. si antequam vesicatorium dolorem excitaret sanguis esset detractus, satis habuit, eoque maturo remedii usu vehementiam morbi praecidisse, et magna sanguinis profusione pepercisse, arbitratus est. Pace vero tanti viri, hic morbus, ut nobis videtur, raro adeo mitis est, ut una sanguinis detractio, una alvi purgatione, tollatur.

Eoque, nisi in lenissimo morbi statu, vesicatorii nobis usus ad alteram sanguinis detractioem peractam differendus videtur. Quo facto a vesicatorio propter irritationem, quae, quamdiu permanet, detractiois sanguinis effectum imminuit, non metuendum est. Cum dolor loco movetur, aut, eo permanente, alius supervenit, aliud vesicatorium, et, si fieri potest, supra doloris sedem reponendum. Quod in omnibus casibus alicubi thoracis faciendum est. Vesicatoria enim extremis artubus, Storkii medici Viennensis arbitrio, minime recte admoventur. Vesicatoria, quae unguentis irritantibus fieri monita sunt, nunquam cum recentiorum vesicatoriorum usu comparanda sunt.

Quod ad alterum consilium, scilicet, occurrendi quibusdam symptomatis, attinet, primum omnium doloris habenda ratio est. Qui, si remediis communibus non sublatus est, solumque majoris momenti symptoma est, aut communis sanguinis detractio, sine manifesta noxa longius perferri nequit, ad localem detractioem protinus confugiendum. Ergo supra partem dolentem cucurbitulae, concisa carne, admovendae sunt. Copia simul iterumque

rumque detrahenda, pro morbi vehementia et diuturnitate aptanda est. Proximum symptomata tussis est, ad quod tollendum opium adhibetur. Opii opus adhuc in magna controversia est, et medicorum de eo opiniones inter se non conveniunt. Quod utique, summis simul auctoribus, et ex propria observatione, summa vi stimulante praeditum esse arbitramur. Eoque morbi initio, aut quovis tempore quo diathesis phlogistica viget, summae illud noxae fit, necesse esse contendimus. Verum, proveciore jam morbo, ubi spirandi difficultas multum jam levata est, et ubi solum cujusvis momenti symptomata tussis est, quae hoc in casu a tenaci acri sero in bronchia effuso pendet, estque doloris et vigiliae causa, tum demum oppii usus non tantum tutus est, sed aliis omnibus remediis praestat. Sputorum intermissio, quam id paucas horas facit, sublata irritatione plusquam compensatur.

Unde stagnatio, et consequens materiae spissatio, quae ut mirum in modum postea ejiciatur efficit, exoritur.

Cum libera et copiosa sputatio tanto pneumoniae fructui sit, idcirco omnibus temporibus eam promovendam medici judicaverunt. Ad quod faciendum, accommodatis medicinis expectorantium vocabulum attribuerunt; quod ubique nullis nobis hactenus notis convenit. Ut tamen quae sic nominata sunt paucis exponantur; compluria gummi hoc consilio usurpata sunt. Quorum pleraque, quae ante in usu fuerunt, sagaciorum medicorum, ob vires stimulatrices, consensu, sunt damnata. Mucilagines et oleum usui esse videntur. Quorum tamen usum non ita, ut De Haeno placuit, adhibendum arbitramur, qui complures olei uncias quotidie dandas putavit. In quem cura-

tionis

tionis errorem, is opinione falsa operis eorum ductus fuit. Oleum enim circuitu sanguinis recipi, sic ad pulmones perferri, et ibi ut oleum agere, et effectus producere, credebatur. Quae opinio prorsus falsa est. At, cum glottidem et partes vicinas tegendo, et sic ab acri tenuique materia defendendo, quae tussim concitat, hanc stagnare sinendo, et tenuiores partes, partim calore, partim absorptione dissipando, et reliquam partem inspissare permittendo, et, sic ut paucis et facilibus conatibus ejiciatur faciendo, praestat.

Aquae calidae vapores, aceto mixtae in bronchia receptae, semper hoc morbo usui sputum expediendo sunt. Verum, ex omnibus aliis remediis, tartarum emeticum, ita ut nauseam excitat datum, optime expectorationem promovet.

F I N I S.